

Cæterùm altera earum testa perforata est foramine, per quod tendo muscularis exit, affixus corpori solido, undè ex eodem loco se nunquàm movere possunt.

Semina aliquot *Amaranthorum* mitto, ut, si quæ horum tibi deficiant, poteris in horto tuo proprio serere. Præsertim *Amaranthus polygonoides* meretur intueri.

Video ex novellis *Adansonum* arma sua contrà me acuere, ut satisfaciat *Jussieo*, quem ego omni cultu prosecutus sum; nec intelligo cur sit mihi contrarius.

Totus sum in conscribendo tomum 5<sup>um</sup> *Systematis*, de *Lapidibus*.

Nihil porrò novi. Tu vale et vive diù felix.

Dabam Upsaliæ, 1760, die 8 Januar.

